



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

Cap 9.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

Hic est Caluini ludus, quo suos miseros Calvinistas iudicat, & veluti fungos & stipites inanibus verbis oblectat. Visus fuit Lectori Calvinistæ & Evangelico, Papistas hoc loco egregie excepisse, & atrocissimi criminis conuictos veluti summo odio dignos tradaxisse. Quam ob causam Marloratus totam hanc criminationem, duobus aut tribus vltimis membris exceptis, in suam expositionem (vt vocat) Ecclesiasticam retulit. Sed diligenter inspectus nihil nisi merum nebulonem & sycophantam egisseprehenditur. Atrociter enim & prolixè acculans, nec crimen aliquod in particulari designat, nec eius, quod in genere declamat, vllam vel vno verbo probationem adfert. Atqui hoc scribendi genere facillè cuius foret, quo suis seu innocentissimos, seu eruditissimos, seu etiam illustrissimos vitos, criminatione generali instituta, cuius nec probatio adfertur, nec species designatur, multis paginis traducere, accusare, & de quouis atroci flagitio, de qualibet crassa ignorantia, de quolibet ignobili & pudendo facinore suspectos reddere. Sed Caluini pruritus aliter lenari non potuit, nisi quoquo tandem modo in hanc Ecclesiæ petram porcus impetiginosus dorsum suum affricaret.

IN IOANNIS CAP. IX.

6. *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit oculos eius, & dixit ei: Vade, lina in natatoria Siloë, quod interpretatur, missus.*

Soleat Caluinus, solentque alij hodie hæretici Sacramentorum nouæ legis effectus quem ex verbo Dei cum tota veteri Ecclesia in illis agnoscunt Catholici, hoc maximè nomine reprehendere ac reicere, quod hac ratione nescio quam latentem virtutem in ipsis elementis & creaturis ponimus, & (vt scribit alibi Caluinus) *hac superstitione miseras hominum mentes alligamus, vt in spectaculo rei corporea potius quàm in Deo ipso acquiescant.* Atqui idem Caluinus hoc tam illustri facto Christi admonitus, vbi tam variis adhibitis creaturis per eas maluit visum cæco dare, quàm in solo diuinæ suæ voluntatis verbo, aduertere potuit huiusmodi creaturarum usum, nec superstitionis causam esse, nec à Deo homines abducere, sed contra Dei potentiam maximè illustrare & religionis incrementum subseruire. Sic enim ad hunc locum scribit. *Neq; in luto, neq; in aqua Siloem quicquam ad sanandos oculos fuisse*

Institut.
lib. 4. c. 14.
num. 14.
Sacramen-
tatum e-
lementorū
virtus.

In Com-
ment. in
c. 9. Ioan.

virtutis certū est. Sed Christus liberè externis istis symbolis sua
 miracula non semel ornauit, siue vt fideles assuefaceret ad si-
 gnorum vsum, siue vt ostenderet suo arbitrio subesse omnia,
 siue vt testatum faceret tantum esse potentia in singulis crea-
 turis quantum ipse dare velit. Pulchrum & præclarum adue-
 sus semetipsum testimonium dedit. Si enim in luto & aqua
 supernaturalem hanc virtutem visum cæco à natiuitate con-
 ferendi collocare Christus voluit, vt suos fideles ad signorum
 vsum assuefaceret, certè in variis Sacramentis suis supernatu-
 ralem virtutem ponens, nō superstitione aliqua eorum me-
 res alligat, sed suos fideles ad signorum vsum, haud dubiè re-
 ligiosum ac pium, assuefacit. Rursum si hoc suo facto osten-
 dere Christus voluit, suo arbitrio subesse omnia, & testatum
 facere tantum esse potentia in singulis creaturis, quantum ipse
 dare velit, profecto doctrina Ecclesiæ in Scripturis fundata &
 tot Patrum testimoniis roborata de Sacramentorum Christi
 virtute & efficacia, nec magnificentius quàm oportuit de Sa-
 cramentis loquitur, nec ad rei corporeæ spectaculum potius
 quàm ad Deum adducit, sed Dei gloriam amplificat, Dei ar-
 bitrio omnia subesse ostendit, & creaturarum spectaculo nihil
 sed Dei potentia totum tribuit, testatum faciens tantum esse
 potentia in creaturis quantum ipse dare velit. Voluit Deus, si
 vera narrat Paulus, per lauacrum regenerationis saluos nos fa-
 cere. Credendum igitur, illi lauacro vim regenerandi inesse,
 tantum scilicet potentia quantum ipse dare voluit. Nempe
 sicut in hoc cæco sanando per lutum & aquam fecit Christus
 quantum facere voluit, & hoc lutū & aqua quasi instrumenta
 à Christo separata cum eius humanitate ac diuinitate concu-
 tebant, sicut in scribendo scriptoris manus cum calamo con-
 currebant; sic in omnibus Sacramentis per illas creaturas quas pro
 earum materia assumere Christus voluit, facit in illis quan-
 tum facere vult, tantum illis potentia inesse testatur quatum
 dare voluit, & creaturæ illæ, aquæ, olei, & cæterarum rerum
 sacramentalium, quasi instrumenta à Christo separata cum
 eius humanitate ac diuinitate ad effectus gratia: cuique Sa-
 cramento proprios concurrunt. Sic in multis aliis operibus
 miraculosis facere Christus voluit, vt hac frequenti creatu-
 rarum cooperatione ad Sacramentorum suorum vim inue-
 ligendam nos quasi manu duceret, & vt Caluinus dixit, ad
 signorum vsum fideles assuefaceret. Sic per simbriam & per coti-
 pus & per deitatem Christi mulier illa hæmorrhœissa sanita
 tem consecuta est. Nam ad tactum simbriæ, quæ erat infra-

Tit. 2.

Luc. 8.

mentalis causa separata, exiit virtus de Christi corpore vt
 instrumento coniuncto, sed de diuinitate vt principali ac pro-
 pria causa. Sic in ciuitate Naimi vnicum matris filium tactu *Luc. 7.*
 corporis sui resuscitauit. Sic digitis & sputo loquelam & au- *Marth. 9.*
 ditum reddidit dæmoniaco. Sic Archisyagogæ filiâ & ma- *Marc 7.*
 nus contactu & verbo ad vitam reuocauit. In quibus omni-
 bus, & rebus sacramentalibus, illud obseruare oportet, quòd
 sicuti per se mota, vel ab alia quapiam creatura agitata, nul-
 lum supernaturalem effectum producere possunt; sic tam illæ
 quàm aliæ quæcunque creaturæ à Deo aut Christo motæ
 quemlibet effectum operari possunt, quæ per illas operari Deus
 velit: idque adeò vt effectus naturali operationi suæ contra-
 rios, Deo illas applicate, producant. Nam & in hoc cæco sa-
 nando lutum visui cõferendo maximè ex natura sua ineptum
 erat, sicut aliàs aqua lepræ sanandæ (qua tamen ablutus Naa-
 man Syrus à lepra liberatus est,) & massa ficorum vlceri sa- *1. Reg. 5.*
 nando (qua Ezechias Rex per Prophetam Dei sanitatem re- *4. Reg. 20.*
 cuperauit) prorsus ex sese suæque vi non inepta tantum, sed &
 aduersa erant. Hæc igitur explicatio ad omnium hodie hæ-
 reticorum incredulitatem conuincendam sufficit, qua perti-
 naciter negant, ex Sacramentorum Christi perceptione vitam
 fidelibus spiritualem gratiam conferri: eaque ad nihil aliud
 instituta esse dementissimè asserunt, quàm vel ad testifica-
 tionem quandam gratiæ cõferendæ, vt Lutheranis placet; vel
 ad oblationem gratiæ iam dudum collatæ, vt Caluino li-
 buit; vel ad solam fidem roborandam & confirmandam, vt
 ferè omnes volunt: de quibus alio in loco diximus.

31. *Scimus quia peccatores Deus non exaudit: sed, si
 quis cultor Dei est, & voluntatem eius facit,
 hunc exaudit.*

Haber hîc locus difficultatem non modicam, sit ne vera *An pecca-*
 an falsa hæc cæci restituti propositio: tum si vera, an *tores Deus*
 generaliter vera, vel in certis casibus, & quibus tandem illis. *exaudiat.*
 D. August. hoc loco tract. 44. & contra Parm. lib. 2. cap. 8. &
 ante eum Orig. hom. 5. in Isaiam, aiunt hanc sententiam esse
 falsam, & ab homine nondum per fidem illuminato: quia si
 Deus peccatores non audiret, aut neminem audiret, quum
 omnes peccatores sint; aut ipsos impios qui per pœnitentiam
 ad Deum recurrunt, nunquam audiret. Quare & D. Basilius
 Const. monast. cap. 2. docet peccatores in multis exaudiri à
 Deo, & exēpla in Scripturis sunt tam de bonis tēporalibus, vt

Ionæ r. ubi idololatræ Deum inuocantes à tempestate liberantur; quàm de spiritualibus, vt publicanus Luc. 18. & filius prodigus Luc. 15. & denique de ipsis miraculosis operibus (de quibus hîc specialiter loquutum esse cæcum aliqui existimant) vt Matth. 7. *Domine, in nomine tuo eiecimus demonia.* Ex quibus verbis etiam ipsos hæreticos in operatione miraculorum à Deo exaudiri probat Iustinus Martyr in resp. 5. ad 99. Gentilium. August. quoque lib. 83. qq. q. 78. & Greg. lib. 9. epist. 6. & Moral. lib. 20. cap. 9. idem docent.

Peccatores
quomodo
Deum non
exaudit.

Vera nihilominus est hæc cæci sententia & magni momenti veritatem complectitur rectè intellecta. Deus nūquam exaudit peccatores, vt ex eorum voluntate & petitione operum mirabilia faciant (quale hîc Christus fecit) sed amicos tantum suos, iustos, ac sibi gratos. Quamuis enim mali multi ipsique etiam hæretici interdum signa facere permittantur, tamen nunquam id obtinent aut simplici sua oratione ac petitione; aut vt ipsis seu doctrinæ seu pietatis ratione aliqua commendatio accedat, (hoc enim esse falsitati testimonium perhibere) sed id obtinent partim ex signo aliquo iustitiæ, vt signo crucis, inuocato nomine Iesu, &c. non opere aliquo aut signo proprio (vt docet Augustinus libro 83. qq. q. 79. partim ex eo quòd ad alicuius veritatis confirmationem id signum applicant; sicut ille qui à fide Christi alienus tamen in nomine Christi eiecit demonia, Marci cap. 9. quem Christus impetiri noluit. Sic ergo ratiocinatus est hîc cæcus: Deus peccatores non exaudit conantes suo aliquo opere aut sua virtute signa facere, idque in suam ipsorum commendationem. Hic autem homo sua voluntate suisque certis operibus facit signa à seculo non audita, idque in testimonium suæ doctrinæ. Necessè est ergo quòd hîc sit à Deo, & non sit (vt vos dicitis) peccator. Deinde peccatorum oratio potest esse impetratoria, remethi nunquam meritoria. Loquitur autem hîc cæcus de illorum oratione quam Deus ex iustitia exaudit. Illa non nisi iustorum est. Rursum peccatorem intelligit hîc cæcus non quemlibet, sed impium aliquem, qualem Pharisei Christum esse blasphemabant, dicentes, *Scimus quia hic homo peccator est.* *ἀμαρτωλός*; quo sensu de Magdalena dixit Lucas, *Fuit a ciuitate mulier peccatrix.* Habet igitur hæc sententia doctrinam illustrem; quam ipse in hunc locum, sed contra caput suum tradidit Calvinus. Sic enim scribit. *Peccator hic impius & sceleratum significat. Est autē hæc perpetua Scripturæ doctrina, quòd Deus non exaudit nisi à quibus vero & sincero cordi*

Luc. 7.

vocatur. Nam quum sola fides ianuam nobis ad Deum aperiat, certum est impios omnes ab accessu eius arceri. Imò testatur se abominari eorum preces, sicut ad eorum sacrificia nauseat. Singularem enim priuilegio filios ad se inuitat, & solus est spiritus adoptionis qui in cordibus nostris clamat, Abba Pater. In summa, nemo ad Deum orandum ritè est comparatus, nisi qui cor fide purgatum habet. Impij verò sicuti in suis precibus sacrum Dei nomen profanant, ita potius huius sacrilegij pœnas dare merentur, quàm ut quicquam in salutem impetrent. Hæc ille, quæ omnia contra alia Caluini axiomata plurimum valent. Si enim peccator hic impium & sceleratum hominem significat, & impij ac scelerati omnes à Deo arcentur, nec exaudit alios Deus quàm à quibus verò ac sincero corde vocatur, quia singulari priuilegio filios adoptionis ad se inuitat, impiorum autem preces abominatur, & sacrificia nauseat; necesse nunc est ut agnoscat Calvinus, filios adoptionis & Deo gratos non esse in sese impios ac sceleratos, sed esse pios ac bonorum operum executores, habere quoque inhærentem animo puritatem ac iustitiam, quia verò & sincero corde, non hypocritico, impuro, ac sordido, Deum inuocant. Repugnant ista ex diametro imputatiuæ iustitiæ, quæ hominem ex sese impium haberi pro iusto coram Deo statuit. Infarcit hinc quidam Calvinus aliqua de fide, dicens, quòd sola fides ianuam nobis ad Deum aperit; & quòd ad orandum ritè comparatus non est, qui cor fide purgatum non habet. Sed aut hæc fides omnem cordis impuritatem tollit; & qui eam tenent, puro ac sincero corde Deum colunt, à scelere & flagitio immunes, ut sic à Deo exaudiantur (atque ita manet repugnantia, quam diximus, cum alijs ipsius placitis) aut totam vitæ impuritatem hæc fides Calviniana compatitur, & sic sola fides ianuam ad Deum aperit, ut qui ea sola carent, impij & scelerati censeantur, atque ita egregium fucum lectori fecit; imò perpetuæ scripturæ doctrinæ fucum fecit impius Calvinus: qui quod contra moribus impios ac sceleratos disputasse visus fuerat, & quod perpetua Scripturæ doctrina contra moribus impios ac sceleratos aperte tradidit, tales ab accessu Dei arceri, nunc non nisi contra eos qui fide carent, totum dixerit. Atqui verba cæci, quæ non ex vulgi opinione, sed iuxta perpetuam Scripturæ doctrinam vera esse vult, non de sola fide aut de solis incredulis, sed de vitæ quoad mores puritate, & de impijs ac sceleratis loquuntur. Negat impios ac sceleratos à Deo exaudiri. Ait eos exaudiri, qui cultores Dei sunt quoad religionis veritatem,

Imputati-
ua iustitia
ex Calui-
ni verbis
euertitur

ac veram fidem, & qui faciunt voluntatem Dei, quoad virtutis studium, ac mandatorum Dei obseruationem. Denique opponit illis peccatores, non incredulos.

35. *Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras: & cum inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei?*

Excommunicatio haereticorum à Caluino ridiculè defensa.

HOc cæci exemplum à Christo in Sabbato illuminati, illuminationem suam confitentis ac fortiter defendentis, eoque nomine à Synagoga eiectionis, & per Phariseos excommunicati, posteaque à Christo quaesiti, inuenti, & fidei lumine donati, existimauit Caluinus ad suam suorumque causam commendandam peregrinè facere, qui similiter ab Ecclesia excommunicati tunc primum nouo fidei fulgore à Christo illustrati sunt. Sic igitur scribit. *Si retentus fuisset in Synagoga, periculum erat ne paulatim à Christo alienatus in idem cum impiis exitium mergeretur. Quomodo igitur tam multi Iudei in Christum crediderunt à Synagoga nunquam eiectionis, quum hoc Phariseorum edictum, eiciendum è Synagoga qui Christum confiteretur, non nisi in vltimum praedicationis Christi annum incidere, & in admodum paucos executioni mandatum legatur? Sed pergat in praecleara sua disputatione Caluinus. Nunc extra templum vaganti Christus occurrit. Eiectum à Sacerdotibus excipit, & amplectitur, erigit prostratum, vitam offert ad mortem adducto. Quid ergo? An propter hoc exemplum expedit extra templum vagari, expedit excommunicari, vt sic vagantibus, eiectionis, prostratis occurrat Christus, & manum porrigat? Ergo iuxta Caluini pulchram disputationem id agant sedulo fideles, vt extra sua templa vagentur, vt à suis Praepositis, Pastoribus, Episcopis excommunicentur, vt consistorio à suis Senioribus eiciantur, ne videlicet tanto bono priuentur, Christi que auxilio & fauore speciali careant, qui sic vagantes excipit, sic eiectionis amplectitur, sic prostratus erigit, sic ad mortem adductis vitam offert. Aut igitur exemplum perpetuum trahi non debet, cuius consequentia tam absurda est; aut distinguere prudenter oportet, quid sint Synagoga Pharisaeica iam abrogationi proxima propter Christi confessionem eiectionis, & quid ab Ecclesia Christi in perpetuum mansura propter nouitates haereticas excommunicatio, quid vera quid falsa decernit Ecclesia, quid iusta quid iniusta operatur excommunicatio. Caluinus tamen quasi ad omnia pedè vnus calceus aptari debeat, pulchre se ratiocinari existimat*

stimat à Synagoga Pharisæica ad Ecclesiam Christianam, & à confessione Christi ad abnegationem eius. Sic enim ad factum suum rem adaptat. *Hoc idem* (inquit) *& nostro tempore experti sumus. Nam quum Lutherus & alij similes initio crassiores Papa abusus reprehenderent, vix tenuem habebant puri Christianismi gustum: postquam in eos fulminavit Papa, ac terrificis bullis à Romana Synagoga eiectioni sunt, manum illis porrexit Christus, ac penitus illis innotuit.* Hæc est præclara Caluini pro Lutero & aliis similibus, quin & pro seipso ratiocinatio, & pulchra collectio, quæ ex ipsis Caluini verbis statim subuertitur. Si enim Lutherus quum à Papa excommunicaretur, nisi tenuem habuit puri Christianismi gustum, & tamen antequam excommunicaretur, editis libris, de libertate Christiana, de captiuitate Babylonica, & aliis, ex quibus articuli illi 40. quos Leo Papa dānauit, desumpti fuere, pro Magistro fidei se gefit, & de grauissimis in fide dogmatibus, quæ illi articuli complectuntur, suum iudiciū interposuit, omnes aliter sentientes clara voce condemnans, absque vilo dubio meritissimè excommunicatus fuit. Quomodo enim verus lupus ac seductor nequam & impostor populi non erat, ideoque meritò damnatus, qui nisi tenuem adhuc habens puri Christianismi gustum, vt Calvinus affirmat, de Christianæ fidei præcipuis articulis tam præfidenter & arroganter decernere ausus fuit? nec arroganter tantum & temere, sed etiam ignoranter & mendaciter, nec minus etiam pertinaciter multa docere? Nam quum nisi tenuem gustum puri Christianismi tunc habuit Lutherus, vt Calvinus affirmat, hunc tenuem gustum ille postea deponere nunquam voluit aut aliter docere quàm docuerat. Tenuem Christianismi gustum in Lutero vocat Calvinus, eò quòd in multis articulis, maximè de Cœna Domini, aliter sensit Lutherus quàm Caluinus, tam ante excommunicationem à Papa factam quàm tota vita post. Vide nunc igitur collectio-

Lutherus
Caluini
iudicio me
ritò excom
municatus

Caluiniana
collectio
stupiditas

nis Calvinianæ summam stupiditatem. Lutherus antequam excommunicaretur, non nisi tenuem habuit puri Christianismi gustum, quia in multis articulis nec dum totam tenuit veritatem, quam ad purum Christianismum pertinere iudicat Calvinus. Sed eundem gustum etiam post excommunicationem perpetuò tenuit, nec puritatem illam Zvinglianam (quæ eadem penè Calviniana est) vquam gustare potuit, acerrimè vsque ad mortem contra Zvinglianos scribens & declamans: ergo post excommunicationem à Romana Ecclesia non porrexit illi manum Christus, nec illi penitus innotuit, vt

hic mendaciter Caluinus affirmat. Ita vel rota corruit Caluini comparatio, vel ipsi certè Caluino Christus nunquam penitus innotuit, qui cum Lutheri placitis nunquã penitus conuenire voluit. Sed hac cæcitate & vertigine merito feriuntur, vt alios ferire volentes, seipfos grauissimè vulnerent, qui contra stimulum calcitrant, & in Ecclesiæ petram sua cornua frustra illidunt: vnde frangantur ipsi, illa manente illæsa, contra quam & portæ inferi non præualebunt.

IN IOANNIS CAP. X.

1. *Amen amen dico vobis: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, fur est & latro.*

VIA cæco restituto propter Christi confessionem è Synagoga eiecto, eo ipso facto Christum esse pseudopropheta, omnèque illi adhaerentes seductos esse Pharisei publicè declarabant, ad hanc impiam & periculosam sententiam hominum animis erimendam (agebatur enim quasi de summa rei, vbi ipsa docetis Christi persona & authoritas in quæstionem vocabatur) docet diligenter & cum magna asseueratione, adeò seductorem se non esse aut pseudopropheta aliqueum à nemine missum, vt ipse sit omnium Prophetarum caput, Pastorum princeps, & ostium ipsum totius ouilis, scilicet per cuius fides intrare semper oportuit in ouile gregis Domini, idèoque qui per ipsum non intrarunt, sed aliunde quàm per ipsum ascenderunt, vel seipfos ingerendo, vel in eum non credendo, illi demum fures sunt & latrones, qui vel ad spoliandum vel ad mactandum veniunt. Quibus verbis etiam ipsos Phariseos perstringit, qui quum populi doctores essent, Christum repulerunt, per quem tam illi, quàm populus quem regebant, salutem consequi debebat: quod in illis verbis expressit: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur.*

Ex hac igitur Christi doctrina cœlesti & saluberrima, quælia & quæ venena exfluxerit Caluinus, vt ab Ecclesiæ unitate Christianos diuellat, verèque furem & latronem ipsemet agat, aduertere operæ pretium est. Multis enim verbis hanc causam tractat, veluti nefarij sui schismatis apologiam, & veluti omnibus lectoribus suis classicum canes, vt contra Ecclesiarum Pastores ac Præpositos audacter insurgant. Tota eius disputationem proferam, & breui annotati. ne singula refutabo quæ refutatione egent. *Quia* (inquit) *negotium Christi*